



**R.P. Francisci Svarez Granatensis E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Primarij
at[que] Emeriti olim Professoris Tractatvs Qvinqve, Ad
Primam Secvndae D. Thomae**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1629

1. Vtrùm homo appetitu innato appetat beatitudinem naturalem in particulari, & in communi.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94065)

dere naturæ, & ideo communis est cum aliis viuentibus, & inanimatis, & in quibus inest. appetitio inest. posterior vero consistit in actu vitali proueniente ex cognitione: vnde est proprium viuentium vita animali vel rationali, & solum adest quando viuens actu operatur & cognoscit: de vtroque est dicendum tam respectu beatitudinis supernaturalis, quam naturalis, vel in communi, vel in particulari.

S E C T I O I.

Virum homo appetitu innato appetat naturalem beatitudinem in particulari, & in communi?

I. PRIMò de beatitudine naturali in particulari res est sine controuersia, hominem illam appetere appetitu innato: sic omnes in 4. d. 49. Scot. q. 6. Durand. quest. 8. Paludan. quest. 7. Maior quest. 6. Rationes sunt claræ: primò, quia in homine est capacitas naturalis ad hanc beatitudinem tam passiuam, quam etiam facultas actiua: omnis autem potentia naturaliter inclinatur ad actum sibi connaturalem, præsertim ad perfectissimum: omne enim perfectibile appetit suam perfectionem: beatitudo autem, vt sæpè dictum est, est maxima perfectio, & si naturalis sit, est etiam proportionata. Tandem appetitus sciendi maximè naturalis est, beatitudo autem est perfectissima quædam pars humanæ scientiæ. Et idem fieri potest de amore: atq; hinc sequitur, cum dictum sit, hanc beatitudinem consistere in cognitione & amore Dei, hunc appetitum naturaliter tendere in Deum, vt in finem vitimum, proprium & particularem, & in cognitionem & amorem eius, tanquam in illius consecutionem. Quod latè probat D. Thomas 3. contra Gentes, c. 25. & sequentibus. Et de hoc ad minimum intelligitur illud Augustini, *Fecisti nos Domine ad te & inquietum est cor nostrum donec perueniamus ad te*, 1. Confess. cap. 1. Rationes sunt eadem quæ supra factæ.

II. Solent verò inquirere Scholastici, in qua facultate hominis sit hic appetitus. Paludanus, quem sequitur Soto, existimat esse in voluntate quia est appetitus totius suppositi, videntur tamen in suo discursu æquiuocationem committere, & ab appetitu innato transferre sermonem ad elicitedum. Durandus collocat in intellectu, in quo etiam existimat esse naturalem appetitum sciendi, quia hic appetitus non distinguitur à capacitate naturali, quam vnaquæque potentia habet ad actum suum. Alij distinctione vtuntur, dicentes, hunc appetitum esse in vtraque potentia, tamen propriè esse in voluntate, sicut etiam esse potest in appetitu sensitiuo in ordine ad objecta proportionata, quia istæ potentia tendunt in bonum sub ratione boni, in intellectu vero, & in aliis facultatibus esse impropriè, quia non tendunt in bonum sub ratione boni, sed sub ratione veri, vel aliis particularibus rationibus. Ita Fonseca 1. Metaph. quest. 1. sectione 3.

III. Mihi videtur ferè distinctio, & questio de modo loquendi. Supponendo ergo formaliter beatitudinem includere actum intellectus, & voluntatis, non est dubium, quin ex ea parte, qua includit amorem, appetitus eius omninò sit in voluntate, vt rectè Scotus, non solum quia voluntas est appetitus vniuersalis, sed quia est proprium perfectibile per illum actum: at verò qua parte consistit in actu intellectus proximus

appetitus eius naturalis est in intellectu, vt rectè probat fundamentum Durandi: sicut etiam appetitus formæ est immediatè in materia prima, & in vniuersum omnis potentia inclinatur in suum actum, & quomuis fortè tota hæc appellatio appetitus metaphorica sit in eo modo, quo est, non est cur dicatur improprius, quia licet intellectus inclinatur ad operandum circa suum obiectum sub ratione veri, tamen, vt habet appetitum innatum, inclinatur in suum actum sub ratione boni, & perfectionis sibi conuenientis: at verò quodammodo mediatè etiam voluntas pondere naturæ inclinatur in actum intellectus, quia inclinatur ad appetendum per actum elicitedum omnem hominis perfectionem, quarum vna ex præcipuis est hæc cognitio intellectus: inclinatur ergo voluntas in actum intellectus, non vt actum suum, sed vt obiectum. Ad di potest, si verum est, hos actus etiam manare immediatè ab ipsa substantia anime, hunc appetitum innatum etiam in ipsa substantia inesse tanquam in radicali, & principali principio illorum, ex illo generali principio, quod omnis vis actiua naturaliter est propensa ad actum suum.

Iam de beatitudine in communi est nonnulla diuersitas inter Autores. Scotus loco citato, & q. 1. Theologi, negat habere hominem appetitum innatum ad beatitudinem in communi. quia natura, inquit, ad determinatam & particularem perfectionem tendit: vnde tendere in vniuersalem, proprium videtur actus elicitedi. Quod fundamentum adeo vniuersale non videtur verum, quia etiam appetitus naturalis potest esse ad obiectum commune, sicut est appetitus materiæ ad formam: imò hoc ipso quod potentia potest per actum elicitedi appetere obiectum commune, videtur necessario iuponi appetitus innatus ad bonum illud: posset tamen in particulari vrgeri argumento Scoti, quia appetitus innatus solum est ad veram beatitudinem, non ad falsam, hæc autem beatitudo tantum est vna in particulari, scilicet Deus, & consecutio eius: ergo hic appetitus non est in beatitudinem in communi, quia solum videtur esse communis pro vt abstrahit à vera, & falsa beatitudine.

Nihilominus dicendum est secundo cum communi sententia, esse in homine naturalem appetitum ad beatitudinem etiam in communi. Sic reliqui Theologi citati, videri potest Caietan. 1. part. quest. 82. articulo 1. explicatur primo, quia actus ille elicitedus, quo potest homo amare beatitudinem in communi, est valde connaturalis, & proportionatus naturæ: ergo est in homine appetitus innatus ad amorem illum: ergo & ad beatitudinem in communi, saltem vt est obiectum eius, quia etiam ipsum obiectum totum est proportionatum naturæ. Secundo, quia licet beatitudo rigorose sumpta pro essentia beatitudinis dicat determinatos actus, tamen absolute profertur, includit collectionem omnium bonorum, vnde hoc modo beatitudo in communi nihil aliud est, quam perfectio, seu congregatio bonorum omnium: sed homo naturaliter appetit hoc appetitu innato, abundare omnibus bonis sibi conuenientibus: ergo hoc etiam modo appetit naturaliter beatitudinem in communi. Tertio, quamuis naturalis beatitudo obiectiua sit tantum vna numero in particulari, tamen beatitudo formalis in variis actibus reperiri potest, ergo ex hoc capite appetitus hic non limitatur ad vnum actum, sed tendit in ipsam rationem beatitudinis, quæ communis est omnibus illis: ergo ex hoc etiam capite tendit in beatitudinem

dinem in communi, licet appetitus natura tendat in rem determinatam, tamen in illa includitur ratio communis, & ratione illius potissimè appetitur. Et hac etiam ratione rectè dicitur appetitus innatus tendere in communem rationem vel beatitudinis, vel alterius boni: nam re vera naturalem appetitum inclinari ad commune bonum nihil aliud est, quam inclinari veluti sub disfunctione ad hunc, vel illum actum, in quo inuenitur illa communis perfectio, nam hac ratione ille appetitus est quasi indifferens ad multa, & erit contentus quolibet illorum, dummodo in se contineat rationem illam communem. Atque sic patet responsio ad fundamentum Scoti in numero quarto.

SECTIO II.

Vtrum homo appetat appetitu innato supernaturali beatitudinem, quæ consistit in visione Dei.

I. Opinio affirmat.

Prima sententia affirmat, esse in homine huiusmodi appetitum: sic Scotus distinctione quadragesima nona, questione nona, & decima, & questione prima, prologi, Durandus questione quadragesima nona, questione octaua, coniuncta cum questione quarta, Paludanus ibi, questione septima, articulo primo, Maior questione sexta, clarius Soto questione secunda, articulo primo, & libro primo, de natura, & grat. capite quarto, Henriquez in Summa articulo tertio, questione quarta & quinta, articulo quarto questione tertia, & clarius questione quinta, Diuus Thomas videtur sæpè fauere in tota hac materia, præsertim prima secunde, questione tertia, articulo octauo, & questione quinta articulo tertio ad tertium, & prima parte, questione duodecima, articulo primo, & tertia parte, questione nona, articulo secundo ad tertium. & aliis locis quæ tractabo sect. sequenti, citatur Augustinus illis verbis *Fecisti nos Domine ad te* &c.

II.

Hæc sententia duobus modis potest fundari, ac defendi: prior est, quod in homine sit potentia naturalis vel actiua, vel passiuæ, vel utraque ad videndum Deum, nam omni naturali potentia innatus est appetitus ad suum actum, vt constat ex Philosophia. Antecedens, quod attinet ad potentiam passiuam, constat ex illo Augustini lib. i. de præstinatione. Sanct. capit. quarto, quinto & septimo: posse habere fidem naturæ est hominum, habere autem gratiam est fidelium. Nam eadem est ratio de visione, quæ est de fide. Item quia illud est naturale, quod est inseparabiliter coniunctum cum natura ex vi ipsius naturæ: sed hæc capacitas est necessario coniuncta cum natura humana ex vi ipsius, vnde fieri non potest, etiam per potentiam Dei, vt separetur ab ipsa. Tertio id declarat Hæric. quia si materia prima ex vi capacitatis innata, quæ nunc habet, posset occupare formas naturales, & supernaturales, omnes equè appeteret, & quia omnium esset naturaliter capax, quamuis non omnes posset naturaliter recipere: ergo similiter intellectus, &c. Scotus adhibet exemplum de anima rationali, quæ naturaliter appetit vnionem, & iteratam vnionem ad corpus, quia vtriusque est naturaliter capax, quamuis non possit vn-

Suarez in primam secundam D. Thom.

tramque naturaliter accipere, sed solum primam vnionem. Altera verò pars de potentia actiua in superioribus tractata est, quia omnis potentia ad efficiendum actum vitalem est naturalis, &c.

Secundus modus defendendi est, abstrahendo à potentia naturali, nam ad appetendum aliquid, satis est quod illud sit bonum, & perfectio appetentis, siue illud naturale sit, siue supernaturale: ergo ad hunc etiam appetitum non est necessaria naturalis potentia, sed sufficit obediens congenita, & innata ipsi naturæ. Antecedens declaratur, quia res solum appetitur vt conueniens: ergo quo fuerit magis conueniens, & perfectior, eo erit appetibilior: ergo etiam si supernaturalis sit, poterit appeti, imò & magis appeti, quam si sit naturalis quia supernaturalitas non diminuit rationem boni, sed auget potius, & ideo licet in ordine ad consecutionem talis perfectio sit supernaturalis, quia consecutio dicit ordinem ad virtutem agendi, tamen in ratione appetibilis erit maximè naturalis, quia simpliciter est bona, & conueniens. Confirmatur à signo ex appetitu elicito, quia hoc ipso, quod aliquid cognoscitur vt conueniens, quamuis apprehendatur vt supernaturale, statim voluntas appetitu elicito naturali tendit in illud, quia illa supernaturalitas non minuit, sed auget rationem boni, & amabilis: ergo idem est de appetitu innato, nam ille appetitus elicitus oritur ex naturali pondere, & inclinatione, quam voluntas habet ad bonum: ergo signum est, illud pondus esse ad omne bonum, siue naturale sit, siue supernaturale.

Hanc sententiam defendunt aliqui ex discipulis D. Thomæ sub quadam distinctione, seu limitatione: dicunt enim hunc appetitum innatum esse ad videndum Deum, vt primum naturæ autorem, & naturalem finem, quomodo solum includit ea attributa, quæ de illo naturaliter cognosci possunt: non verò ad videndum Deum vt autorem gratiæ. Sic Conrad. prima secunda, questione tertia, articulo octauo, & solet attribui Ferrar. sed ille loquitur de appetitu elicito, vt infra dicam. Fundatur hæc opinio, quia Deus vt prima causa habet necessariam connexionem cum naturâ, viso autem effectu naturaliter desideratur videri causa.

Hæc verò opinio inter omnes mihi maximè displicet, nam & fundamentum eius ad summum procedit de appetitu elicito, de quo infra. Et præterea distinctio illa, vt aliàs dixi, non habet locum in visione clara Dei, de qua agimus, quia si videtur Deus, vel aliqua attributa eius, necesse est videre totam essentiam Dei: non potest ergo natura inclinari ad visionem Dei sub vna ratione, quin absolute inclinetur ad videndum Deum prout in se est trinus, & vnus, & simpliciter omnipotens tam ad opera naturæ, quam gratiæ, & finis vltimus omnium creabilium, siue naturalia sint, siue supernaturalia. Confirmatur, quia illa visio Dei, vt prima causa est, est tamen supernaturalis sicut esse potest: ergo est eadem ratio de illa, & de visione Dei, sub quacunque ratione.

Dicendum ergo est, in homine non esse appetitum innatum ad videndum Deum clarè, & prout in se est, & consequenter nec ad supernaturalem beatitudinem: sic ex professo

III.

IV. Quo pacto quidam accipiant hanc opinionem.

V.

VI.

K

Caie